

annorum intercapedine proueniat. Esto itaque caput arietis octauae
sphaerae in parui circuli a d c e, altero duorum punctorum p r, pro pri-
ore datorum duorum temporum, & pro posteriore tempore in altero
duorum punctorum m o, liquet igitur quod octaua sphaera propter
motum super paruis circulis, accesserit iuxta signorum ordinem ultra
medium motum eius quantitate n q, segmenti eclipticae nonae
sphaerae quod differentia est duarum equationum videlicet b q, quae
priori debetur tempori & b n, quae posteriori debetur tempori per-
spicua igitur est pars prima huius secundi documenti. Rursus
pro priore datorum temporum idem caput arietis in altero duorum
punctorum m o, & pro posteriore consistat in altero duorum
punctorum p r. Est igitur manifestum ex his & praedictis hypo-
thesibus octauam sphaeram ultra equalem medium motum pro
datorum intervallo temporum contra signiferi seriem cessisse quan-
titate segmenti n q, quod differentia existit duarum equationum
pro datis duobus temporibus, igitur si datorum duorum temporum
motus accessus & recessus uterque maior extiterit grad. 180, atque
prioris temporis equatio minor fuerit equatione posterioris
erit earundem differentia equationum medio motui octauae sphaerae
addenda, ut verus eius motus pro dato interstitio temporum ha-
beat. Patefcit ergo pars secunda huius secundi documenti.

Documentum tertium. Quando vno datorum duorum temporum
motus accessus & recessus minor fuerit gradibus 180, altero
autem idem motus eosdem gradus 180, exsuperauerit, quod acci-
dit capite octauae sphaerae per tempus vnum constituto in medie-
tate parui circuli orientali, per alterum autem tempus in occiden-
tali eiusdem parui circuli medietate, igitur aggregatum ex equatio-
nibus datorum temporum, adiciendum quidem est aequali medio
motui, qui datorum intervallo temporum tribuitur, si motus acces-
sus & recessus posterioris temporis inferior extiterit gra. 180,
quod accidit dicto capite arietis occupante medietatem parui
circuli orientalem. At idem aggregatum eidem medio deducatur
motui, si motus accessus & recessus posteriori tempore competens
maior extiterit gra. 180, quod itaque vel addendo vel diminuendo
conflatum fuerit verus erit octauae sphaerae motus datorum interca-